

No. 580. 1368. 21. Juni.

Der Decan Bodo zu Merseburg und zwei von den päbstl. Commissarien in einer Streitsache des B. Johann mit dem Abt Withigo zu Altzelle substituirte Richter berichten nach Rom über den Gang der von ihnen bisher gepflogenen Gerichtsverhandlungen.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domini Urbano sacrosanctae Romanae ecclesiae summo pontifici dei gratia Bodo decanus ecclesiae Mersburgensis a sede apostolica delegatus, Vlricus abbas monasterii sancti Petri extra muros Mersburg ordinis sancti Benedicti et Otto cantor dictae ecclesiae Mersburgensis a reverendo in Christo patre et domino domini Frederico episcopo et Petro praeposito ecclesiae Mersburgensis iam dictae iudices subdelegati eius devoti ac fideles devota pedum oscula beatorum. Placuit sanctitati vestrae causam, quam reverendus in Christo pater et dominus dominus Johannes episcopus ecclesiae Misnensis movere intendebat honorabili viro domini Withigoni abbati monasterii Veteris Cellae sanctae Mariae Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis venerabili in Christo patri domino . . episcopo Mersburgensi et honorabili viro . . praeposito et mihi Bodoni decano ecclesiae Mersburgensis committere cum clausula: quod si non omnes, tu frater . . episcopo etc. Et cum aliquo modo in dicta causa inciperemus simul procedere, contigit praefatum venerabilem patrem et dominum et . . praepositum praedictos maioribus negotiis occupari, propter quod praefati episcopus mihi . . abbati sancti Petri et . . praepositus mihi cantori dictae ecclesiae Mersburgensis vices suas in statu quo erat commiserunt cum clausula: donec eam ad se ducerent revocandam. Nos igitur . . abbas, . . decanus et . . cantor praefati de causa cum cognosceremus iuris ordine per omnia servato, lite coram nobis in eadem causa contestata et iuramento de calumpnia praestito per partes praedictas, tandem positionibus et articulis per procuratorem actoris nobis in iudicio oblatis et per partem ream receptis praesente domino . . abbate reo terminum assignaremus ad respondendum eisdem, ipse contumaciter recessit nec respondere curavit, ut apparet in actis ad quae remittimus. Post haec quidam venit scilicet feria secunda elapsis fere tribus septimanis a tempore, quo dicitur interposita, et quandam cedula papiream praesentavit in qua sic scriptum erat: In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem M^o. CCC^o. LXVIII^o. indictione sexta die vicesima tertia mensis Maii hora tertiarum vel quasi in oppido Erfordensi Magunt. diocesis et in curia habitationis honorabilis viri domini magistri Alberti de Eschenewege etc. cuius tenor hic in cedula papiream est affixus et sic dicitur appellasse; cui appellationi tamen non detulimus, cum eidem de iure non crederemus deferendum, quia ex causis falsis et frivolis est interposita et malitiose eius insinuatio nobis facienda per tres ebdomadas est dilata. Sed cum instanter apostolos peteret communicato nobis iuris peritorum consilio has litteras sibi pro apostolis refutatoriis duximus concedendas nostris sigillis sigillatas. Datum anno domini M^o. CCC^o. LXVIII^o feria quarta proxima ante diem beati Johannis baptistae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; an Pergamentstreifen hängen ein Bruchstück vom Siegel Bodos, die Siegel des Abts Ulrich und des Cantor Otto (Wappen der von Ilburg).